

quasi vero Pater, non nisi mediatus, uti loquuntur, Spiritus S. Principium esse possit, si illum una cum Filio spiraret. Undenam enim id sibi colligere posse videntur? Quia (inquiunt) in Latina Ecclesiae hypothesi Filius non spirat, nisi Virtute a Patre accepta: atque ita Pater, nisi Filio medio, non spirat. Egregia profecto conclusio. Quidni etiam pari festiuitate concludant? Filius non creat, nisi Virtute accepta ab Aeterno Patre; Igitur Pater, nisi medio Filio, non creat; atque idcirco non immediatus Creator habendus est. Nihil itaque vetat, quominus Filius spirandi, creandique Virtutem Aeterna sui Generatione ab Aeterno Patre susceperit; Uterque tamen, nullo illorum stante medio, spirare, atque creare ex aquo possit. Id familiari, atque domestico Exemplo competissimum est. Demus duos homines, unum alterius Filium, qui uni simul ferendo oneri elaborant: tametsi Filius robur illud, quo onus ferre possit, a Patre sui generatione obtinuerit, ambo tamen ex aquo, nullo illorum stante medio, sua illa ferendi virtute probantur, & nullus alteri in sua, ut ita dicam, virtutis usu medius est. Sed ad altiora properemus.

Restat ultima (sed ut fatear, quod res est, altioris longe Criterii, & graviorisque momenti) Græcorum adversus Latinos Expolutio. Ea nempe, quæ de addita Constantinopolitano Symbolo Particula *Filioque* contra Latinam Ecclesiam instrui solet in hunc ferme modum. De Spiritu S. Processione, inquiunt Græci Theologi, nihil in Concilio Nicæni Symbolo expressum erat, cum primo a Nicænis Patribus adnotatum est. Cœpit ea de re in Concilio Constantinopolitano Primo aliquid Symbolo huic adjungi, quod Spiritus S. Divinitatem, ejusdemque a Patre Processionem contingeret; at de ejus a Filio Processione nihil tunc additum est. *Credimus in Spiritum S. Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & Processione a Filio plane nihil: Cum post Concilium Constantinopolitano tempora Concilium Ephesinum habitum est; in quo Symbolum alterum, seu Fidem alteram proferre, vel scribere ab ea, quæ Nicæna, & Constantinopolitana fuerat, aut eidem quidpiam addere solemniter Decreto vetitum est; idque Depositionis poenam adversus Clericos, qui id attentare presumerent; Anathematis vero in Laicos, qui hoc nefas admitterent. Quo itaque jure, inquiunt Græci, posthabito, spreto, ac veluti conculeato Œcumenici Concilii Ephesini Interdicto, Particula *Filioque* proculdubio antiquæ Fidei formulæ, antiquo Symbolo addita est? En Græcorum Arietem, quo Ecclesie Latine, ut ajunt, temerarios ausus impetere sibi putant.*

Quod nihil a Concilio Nicæno de Spiritu S. Divinitate, ejusque Processione in Symbolo notatum sit, ratio in prompta est; quæ scilicet adversus Arianos in Synodo Nicæna tota Lis erat: cumque solum illi ex Instituto Filii Divinitatem oppugnarent, satis profecto Synodo fuit, inscripto Novo Symbolo Filii Divinitatem explicatius, quam in Apostolico Symbolo confirmare.

Rursum, quod in Concilio Constantinopolitano I. una duntaxat Spiritus S. Divinitas, ejusdemque a Deo Patre Processio solum expressa, Veterique Symbolo addita sit, facti quoque in aperto est, Macedonianorum quippe Hæresis damnanda studebat unice Synodus Constantinopolitana: cumque ii Spiritum S. a solo Filio, atque instar Creaturae procedere fabularentur (uti retulit est S. Basiliius *lib. de Spiritu S. adversus Eunomium*) nil aliud hujusce Synodi Patres fa-

cere censuerunt, quam Spiritus S. Divinitatem, ejusque a Patre Processionem in tuto ponere, paucis illis ad Symboli Nicæni Fidem additis verbis *qui ex Patre procedit; qui cum Patre simul & cat.* Quapropter, cum secuti inde temporibus novus Error in Ecclesia suboriri cœperit, qui Spiritum Sanctum a Filio procedere negat; eadem illa, quæ semper Ecclesia pollet, auctoritate Particulam *Filioque* præcedenti Symbolo addendam judicavit in Concilio, de quo nobis in Tractatu de Fide fermo erit. Ecclesia quippe, atque ejus idcirco Supremi Capitis munus est, Fidem in Quæstionibus controversis exponere, atque etiam Symbolum, ac Fidei formulam ordinare majoris explicationis gratia, ne Fideles novo aliquo insurgente errorum aucupio capiantur. Unde & de hujusce Particulæ *Filioque* additione, nullam bona fide Controverfiam moveri puto, ubi semel de Dogmate ipso Latinos inter, & Græcos probe constaret.

At obstat, inquiunt Græci, Concilii Ephesini Interdictum, quo, ne quid Veteri Symbolo adderetur, vetitum erat.

Difficultatem nec dissimulo, nec effugio. Quare repono, Concilium Ephesinum Privatos duntaxat Decreto suo obstrinxisse, non Concilia, non Supremum totius Ecclesie Caput, quibus nihil præscribere potuit; Juris enim Regula est ipso Natura lumine nota, *par in parem auctoritatem non habet.*

Responsum hoc nostrum juvat non ratio duntaxat; verum etiam Veterum Conciliorum, quorum suprema apud Græcos auctoritas est, praxis, & usus. Ratio, inquam. Quorum enim novam Fidei formulam edere, aut aliquod antiquo Symbolo additamentum adferre vetuit Ephesina Synodus? Profecto, ne quis exponendi Nicæni Symboli speciosio præterito avitam Fidem adulteraret, fœdæque errores simplicibus propinquaret; ut Arianis, & Semiarianis familiare erat. At nihil ejusmodi quidquam de Sacris Conciliis secundum Canonicas Sanctiones, ac Summi Pontificis accedente præsidio celebratis pertimescendum erat; cum nihil adversus Catholicam Fidem ab iis attentari posse notissimum sit. Non ergo Synodus Ephesina sequentium Conciliorum, Romanorumque Pontificum auctoritatem arcevit.

Quibus addendum est; quod in materia Discipline Concilium unum alterius subsequens Concilium auctoritatem restringere, & coercere non potest. Porro quod aliquod Fidei Dogma, ubi semel ab Ecclesia definitum est, Symbolo ad majorem Fidelium informationem inferatur, res inter Discipline est. Rursum Concilium Ephesinam Depositionis poenam comminatur iis, qui addere quidpiam auderent; quod certe nec de Summo Pontifice, nec de posterioribus Conciliis intelligi potest dictum. Probat hoc idem posteriorum Conciliorum Exemplum: videlicet Concilium Ephesinum Decreto suo posteriora Concilia non adstrinxisse, sed Privatos duntaxat. Concilium quippe Chalcedonense aliquanto post celebratum, se Ephesino Interdicto minime ligatum existimavit: quandoquidem veteri Symbolo novis additamentis amplificavit; quæ licet in Ecclesia minime decantentur; in ejus tamen Actis consignantur, ac etiam hodie perleguntur. Ita enim observat Hugo Etherianus *lib. 3. de Hæresibus, quas Græci in Latinos devolvunt* (ob additam Symbolo Particulam *Filioque*) *cap. 16. Si Constantinopolitano Synodo Nicæno adjectis Symbolo: in Spiritum Dominum & vivificantem, & ex Patre procedentem: & Chalcedonensis Synodus quoque Constantinopolitano addidit Symbolo: perfectum in Humanitate, perfectum in Divinitate, Consubstantia-*

tiam Patri secundum Deitatem, Consubstantialem nobis secundum Humanitatem, & cat. (apud Nat. Alex. ad Sæc. IX. & X. Dissert. 18.) En adjectio facta a Synodo Chalcedonensi. Non itaque Concilii Ephesini Interdictum ne quid Veteri Symbolo adderetur (quod tanta animi contentione Græci nobis objiciunt) non, inquam, Concilia ligat, ne & ipsa, novorum Errorum occasione, aliquid addere possint, ubi id judicaverint expedire.

Norunt id profecto Græci, sed caute dissimulant. Etenim post factam Particulæ *Filioque* additionem in Concilio Romano sub Agathone anno sexcentesimo octogesimo a Latinis, ut ajunt, attentatam, duo in Orientem Concilia Œcumenica celebrata sunt, Constantinopolitanum Tertium, & Nicænum Secundum, ubi Græca simul, & Latina Ecclesia convenere: & quanquam Græcos minime lateret, quid Latini Veteri Symbolo addidissent; nullum tamen ob id negotium nobis fecerunt, quin potius, si nonnullis Scriptoribus fides est, in Secunda Nicæna Synodo Symbolum cum ea additione Particulæ *Filioque* decantatum est. Post trecentos duntaxat annos ea nobis Objectione a Græcis facta est. Unde colligere merito liceat, eam Græcorum contra Latinos accusationem ex secreta quadam amulatione, & anticipato Errore prodidisse.

Reponunt fortasse Græci, (nec enim quidquam, quod eorum Causam juvare possit, omittam) si sic est; si quidpiam publica Concilio, Summique Pontificis auctoritate Veteri Symbolo addi potuit, novi Erroris suborientis occasione, quorsum in Ephesina Synodo post damnatum Nestorium, qui Divinam Mariæ Virginis Maternitatem abnegabat, *Deipara* vocem Symbolo addere noluerunt Venerandi Patres, tametsi id nonnulli instantissime postularent? Quorsum in Concilio Chalcedonensi post damnatum Dioscorum, & Eutychem aliquantulum adversus illorum Errores expositionem veteri Symbolo adnectere detrectarunt Sanctissimi Præfules, quan-

quam id aliqui vehementer optarent? Imo vero conclamant universi: *Expositionem alteram nullus facit. Neque tentamus, neque audemus exponere... sufficiunt quæ exposita sunt; alteram expositionem non licet fieri... Regula est, quæ prædicat sufficere, quæ sunt exposita; nimirum, uti perspicuum est, in Concilio Ephesino facta Lex, (apud Nat. Alexand. Dissert. 18. ad Sæc. IX. & X.)*

Responsio in promptu est, nullam a Patribus Chalcedonensibus, & Ephesinis adversus natos Errores Expositionem additam esse Veteri Symbolo, non quod addere summo jure non possent, si id ita expedire judicassent; sed quod minime necessaria foret ad Fideles contra eas Hæreses communiendos. Quorsum id? Quia multa satis in Constantinopolitano Symbolo habebantur, quibus Virgo *Deipara*; hoc est, Dei Mater significabatur; cum idem ille, qui & *ex Patre natus, & consubstantialis Patri* dicitur, & *incarnatus & Homo factus*, ex consequenti ex Virgine genitus intelligendus sit; ut inferret Rhodus Præsul in *sess. 6. Concil. Florent.* (apud Nat.) Quæ certe minus vera foret, nisi Virgo *Deipara*, hoc est, *Dei Mater* agnosceretur. Similiter Eutychemorum Error duas Naturas in Christo confusus blasphemantium adeo aperte in Symbolo Constantinopolitano denudatus est, ut illud ipsum Eutychemiani prorsus exploderent, atque rejicerent. Nec alia de causa novam contra Eutychemum Expositionem inutilem censere Chalcedonensis Synodi Patres, quam quod satis esse judicarent, si Constantinopolitano Symbolum Eutychemiani reciperent. Cæterum quod aliquid Symbolo addendi auctoritatem haberent, si id expedire judicassent, satis superque Facto monstrantur: quippe qui, uti paulo supra significavi, nonnullis re ipsa aliis additamentis Symbolum Constantinopolitanum amplificaverunt.

Novo nos telo Adversarii petunt: Illo scilicet, quo Additionem illam a Latinis temere factam, a Romanis subinde Pontificibus improbatam esse demonstrare satagunt, at de hoc differemus in nostro Tractatu de Fide.

DISPUTATIO ALTERA.

Adversus Raymundum Lullum, aliosque Theologos.

PRÆLECTIO PRIMA.

Trinitatis Mystrium nulla posse naturali ratione demonstrari; hæcque ipsa naturali ratione luculentè evinci, propugnatur.

Hactenus Sacrosanctum Trinitatis Mystrium, asurgente Sacrarum Scripturarum Revelatione, deteximus, & contra perfidos ejusdem Hostes Divina Testificatione subnixi defendimus, probavimus, explicavimus. Hæc nobis felix Cynosura fuit, qua duce, & auspice Mare istud enavigavimus naufragiis celeberrimum. Hæc nobis lucerna lucens in caliginoso loco, ut loquitur Petrus Apostolus *ep. 2. cap. 1.* cujus beneficio Mysteriorum opum abditissimum, occultissimumque, quo humana Mens potest, internovimus. At novus nunc Campus nobis aperitur, muraturque Scena, dum illud a nobis queritur: num quod Divina Revelatione deteximus, & probavimus Trinitatis Mystrium, ratione etiam

naturali, eaque demonstrante cognosci probarique possit.

Fuit enim illud olim Raymundi Lulli pium quidem, ut arbitror, sed audax nimium, imprudensque Consilium, qui, ut Saracenos, Judæos, atque Gentiles de Sacrosanctæ Trinitatis Veritate convinceret, demonstrantes rationes excogitavit, quibus illorum assensum extorqueret. Non ita profecto Ecclesie Patres, qui in asserendo vindicandoque Trinitatis Mystrio humanæ Rationis præsidia nusquam attulerunt. Horum nos exempla secuti Raymundi Lulli vanitatem, atque audaciam præsentis Exercitatione perstringemus, palamque faciemus Trinitatis Mystrium, nisi Divina Revelatione dignoscatur, nulla unquam posse naturali ratione demonstrari.

Id igitur nos ex pluribus Scripturæ Locis hauriemus; Matthæi nimirum *cap. 11.* ubi cum Christus rogatus esset ab Apostolis, ut Mystrium Generationis expromeret, respondit: *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Pater quis novit, nisi*

nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Porro cum Trinitas fundata sit in Generatione, si Generationis nulla naturali ratione cognosci potest, jam nec Trinitas, poterit. In hoc idem conspirant Ecclesiae Patres, qui ubi de asserenda, probandaque Trinitate actum est, non ad rationes naturales, sed ad Scripturas confugerunt. Quorum nomine venit Hormisdas Pontifex Maximus in epist. ad Justinum Imperatorem, in qua sic legitur: *quis ergo illi Secreta Aeterna, impenetrabilisque Substantia, quod neque visibilibus, vel invisibilibus naturarum potuit investigare Natura, prophetam divinonem tentes ingerere?* Et certe Ecclesiae Patres toties id asserere compelluntur, quoties cogitant illud Apostoli Pauli in epist. ad Romanos cap. 2. ubi probat, Veteres Gentiles inexcusabiles fuisse quidem, quod Deum non glorificaverunt; quia Virtus Dei, ejusque Divinitas per ea, quae facta sunt, innotescere illis utique poterunt: non autem eos inexcusabiles dicit, propterea quod Personam in Deo non coluerint; quia videlicet neque ex visibilibus, neque illa naturali ratione Trinitatis cognitionem haurire illi poterant. Ex quibus constat, tam ex Patribus, quam ex Scriptura Trinitatis Mysterium naturali ratione non posse cognosci. Tamen Raymundus Lullus nihil his motus Momenta hanc nostram non solum elidere nititur, sed contra nos retorquere conatur, multa proferens Exempla, quibus Philosophos Veteres Mysterium hoc cognovisse, contendit ostendere. Primum desumit Exemplum ex Mercurio Trismegisto, quem novisse, & predicasse asseveranter affirmat, cum dicit: *Monas genuit Monadem, & in se suam reflexit ardorem.*

Aliud ex Aristotele desumit Exemplum, cui patuisse probat Mysterium ex eo, quod in Categoriarum Numerum ternarium, Numerum Divinum appellat.

Alterum ex Platone, qui in suis Dialogis saepenumero mentionem facit de Verbo Dei. Ex quibus omnibus colligit Raymundus Lullus, Mysterium Trinitatis Veteres hocce Philosophos novisse, coluisse, praedicasse: Maxime vero, quia D. Augustinus lib. 7. Confessionum cap. 9. testatur, in Platone legisse ea, quae in Dilecto Apostolo perleguntur: *in principio erat Verbum...*

Tamen quam ludicra sint istiusmodi Exempla, facilius intelligit qui rem paulo penitus considerabit. Quod attinet ad primum ex Mercurio Trismegisto desumptum: *Monas genuit Monadem*; non est ita accipiendum, quasi quod hisce verbis significare voluerit & Generationem Verbi, & Spirationem Spiritus S. sed referuntur ea verba ad Mundi Creationem significandam, in qua *Monas* condidit Orbem, & *in se suum reflexit ardorem*; hoc est, amorem sui in se reflexit. Ceterum dico, *Pimandrum*, qui vulgo nomine Trismegisti jactatur, spurium esse, a quodam Nebulone confarctatum.

Quod vero attinet ad illud Aristotelis, quod nempe ternarium Numerum Divinum appellaverit; ita Philosophus intelligendus venit, ac si perfectissimum dicere voluisset; nam cum Deus complectatur omnia perfecta, ideo quae perfecta sunt, Divina dicuntur; unde cum Numerus ternarius perfectus numerus censetur, ideo Divinus ab Aristotele fuit nuncupatus.

Quod spectat ad Platonem, ajo, fecisse quidem mentionem Verbi; tamen Nomine Verbi non significasse Personam in Deo subsistentem, sed Ideam tantum intellexisse. Ponamus tamen, Philosophos antiquos aliquid de Mysterio Trinitatis suis in Scriptis expressisse, non consequitur ex hoc, naturali cognitione illud penetrasse; nam hoc My-

sterium aliunde dignoscere potuissent. Potuerunt igitur eam notitiam habere ex praefatione Librorum Veteris Testamenti; maxime vero ex libris Prophetis aliquid subodorari potuerunt; quia trecentis annis ante Christi adventum ex Originali Hebraeo in Graecum Idioma conversi fuere sub Ptolomeo Philadelpho ab Septuaginta Interpretibus, quos in Aegyptum vocavit. Cum igitur in Graeco Idioma conversi legerentur, potuerunt etiam Philosophi, qui ea aetate temporis versabantur, aliquam Trinitatis notitiam haurire. Et certe Philosophos illos Libros hocce legisse patet apud Historicos. Potuerunt etiam Hi ex conversatione cum Judaeis, & praecipue cum Primoribus Synagoga, vel etiam cum ipsis Patriarchis, atque Prophetis cognitionem accipere. Et quidem familiariter cum Prophetis conversasse, scribunt omnes ubique Patres; scribunt enim, Pythagoram Ezechielis amicissimum extitisse. Et certe non modo veteres Philosophi, sed etiam postremi cum Apostolis conversarunt. Senecam cum D. Paulo conversasse patet adeo, ut habeatur Epistola ad Senecam, & Epistola Seneca ad Paulum, quae licet spuria, & apocrypha a Viris quibusdam Criticis censentur; sunt tamen multi, & quidem celebres, qui ipsas genuinas affirmant.

Potuerunt etiam Hi addiscere id ex revelatione Daemonum, quos hujus cognitionem habere, certissimum est; nam credunt, & contremiscunt; & hanc cognitionem, quam habent, habent ex vi praecedentis cognitionis; & hanc potuerunt Daemonum His certis in Orationibus manifestare, non ut ad cultum excitarent, sed ad blasphemandum; quemadmodum in Evangelio videmus Demones manifestasse Mysterium Incarnationis; ex quo consequitur, quod si hoc circa Incarnationem praestarent, id ipsum etiam circa Trinitatem praestare potuerunt.

Potuerunt tandem alio ex Capite Trinitatis Mysterium cognoscere: nempe ex Oraculorum consultatione; Nam referunt Justinus Martyr, & Clemens Alexandrinus (apud Laurentium Beyerlink in T. V. H.) Tullum Regem interrogasse Serapidem, quidnam esset Deus? A quo responsum istud accepit:

Principio Deus est, tunc Sermo, & Spiritus idem: sunt & ter tendentia in unum.

Ex his omnibus igitur potuerunt Philosophi Veteres Trinitatis Mysterium intescere.

Ea igitur ratione deest Raymundus Lullus ab Exemplis, quae perperam vendidit, ad rationes naturales confugit, quibus suum illud Institutum probare aggreditur. Quare ut illum e vestigio insequamur, quid possit Ratio naturalis, quidve non possit ad Sanctissimam Trinitatis Mysterium demonstrandum, explicare necesse est, ne Lullum somniorum somniatorem audacissimum illasum suam abire. Pronuncio itaque, tantum abesse, ut ratione naturali Mysterium Trinitatis probari, demonstrarique possit, ut contra potius ratione naturali probetur, Mysterium Trinitatis demonstrationem nullam omnino excogitari posse; quae altera susceptae Disputationis pars est. Res patet ipsa per sese: Omnis quippe Demonstratio vel est a priori per causam, vel est a posteriori per effectum. Mysterium Trinitatis a priori nequit demonstrari, cum nulla cognosci possit a priori causa. Sed nec a posteriori: nam per effectum demonstrari solum causa potest eo modo, quo producit effectum. Porro Trinitas, quae causa est plurium effectuum ad extra, non est causa, ut Trinitas

nitus est, sed ut Deus est; quia Deus operatur ad extra per Omnipotentiam; Omnipotentia vero competit Deo, ut Deus est, non ut Trinus est: quemadmodum E. G. Pictor, qui & Pictor sit, & Theologus, si lineat imaginem, ex hoc cognoscitur, in quantum Pictor est, non ut Theologus est; nec possum inferre, Theologum esse, quia pinxerit.

Hanc rationem cavillatur Lullus; nam ait, dari effectus ad extra, qui a Deo uti Trino sint. Exemplum asserit Visionis Beatae: Visio illa Beatica est a Deo, ut Trinus est; quia Deus, ut Trinus, est Objectum Visionis Beatae; objectum vero se habet ut causa efficiens operationis. At hallucinatur quam maxime: Deus ut Trinus, non est causa Visionis, sed ut Unus.

Ad secundum, nempe, quod Deus, ut Trinus, sit Objectum Visionis Beatae, dico, esse Objectum terminativum, non vero motivum; unde invicta stat prima ratio contra Lullum allata.

Alteram ratio est. Torus ordo Naturae nequit praebere Homini, nisi modum naturale; Trinitatis Mysterium inter alia Mysteria est magis Supernaturale; nulla ergo ratione naturali potest demonstrari.

Cavillatur hanc Lullus. Ait itaque: Deus, etiam ut Unus, est quid supernaturale; si entitative spectetur, non vero reduplicative ut cognoscibilis; nam sic est quid naturale; quia, ut cognoscibilis, habet connexionem cum effectibus naturalibus.

Subintra hic nobiscum in Scenam Raymundus Lullus Mysterii Trinitatis subtilissimus Demonstrator, omnesque ingenii nervos intendit, ut quod solo Dei Revelatione dignosci posse tota putavit Antiquitas, naturali ratione probari posse nobis ostendat. Demonstrationes plures in medium proferit, quibus Trinitatis Mysterium se probaturum pollicetur. Audiamus itaque disputantem; videamusque, quid tanto ferat magnus promissor hiatu, Prima Demonstratio, quam nobis offert, haec est: demonstrari naturaliter potest, in Deo esse quancumque Perfectionem simpliciter simplicem; sed Generatio est Perfectio simpliciter simplex; ergo demonstrari naturaliter potest, dari in Deo Generationem. At duplici capite labitur prima haec Demonstratio. Do ego, Perfectionem simpliciter simplicem Deo esse tribuendam; nego tamen, naturaliter sciri posse, dari in Deo Generationem, cum hujus cognitio ex Fide tantum, non naturaliter haberi possit. Ceterum respondeo, quod, cum Dei Generatio in identitate Naturae, non autem in distinctione consistat, sequitur, quod licet cognoscamus, posse generari in distinctione Naturae, non tamen possumus cognoscere, generari in identitate Naturae, scilicet individue.

Post hanc aliam asserit Demonstrationem: ex effectibus potest naturaliter causa probari; sed tota Trinitas est causa Creaturarum; ergo Trinitas naturaliter cognosci, probarique potest. Cui robur addit: effectus ducit ad cognitionem causae exemplaris, ad cuius normam productus est; sed nonnulli effectus sunt in natura, qui producti sunt ad Exemplar Trinitatis; E. G. Paternitas creata ad Exemplar Paternitatis Divinae, juxta illud ad Ephesios 3. *secundo genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi; ex quo omnis Paternitas in Caelis, & in Terra nominatur.*

At futilis, & cassa est Demonstratio: nam Paternitas Divina non est Exemplar Paternitatis humanae, sed ipsamet Natura Divina, ut Principium

operandi, & ut est varie imitabilis a Creaturis. Dum autem dicimus, Paternitatem terrenam ex Paternitate Patris Domini nostri Jesu Christi nominari, id est intelligendum de nominatione extrinseca, non de intrinseca, & exemplari.

Patefacta igitur infirmitate rationum, & demonstrationum, quibus usus est Raymundus ad suam sustinendam Sententiam, tuendamque, non erit proorsu inutile, suam illam etiam rationem explorare, quae ipsi tam magni momenti semper visa fuit. Ideo enim contendit ille, fuisse Rationis lumen, ut Trinitatis Mysterium probetur, & cognoscatur, quia si ad id esset necessaria Divina Revelatio, possent de Deo conquiri quicumque ea Revelatione destituti Mysterium hujusmodi non agnoverent.

At hoc absurdissimum est duplici ex capite. Primo; quia Patres bene multi ultro citroque concedunt, Veteres Philosophos, qui ea Revelatione destituti Mysterium hoc non noverunt, excusabiles omnino fuisse: Non est ergo, quod de Deo conquerantur. Secundo; quia haec ipsa infirma est, & ineptissima argutio, qua Pelagiani non esse Divinam Gratiam necessariam gariebant ad Fidem, ad Dilectionem Dei, ad implenda Divina Mandata. Cur ergo illi non exsecutur, si non credant, si Deum non diligant, tamen ea Gratia sint destituti, quae est ad id necessaria? Hac maxime ratione: quia Deus ad eam dandam se ipso est paratissimus: eam tamen in poenam praecedentium delictorum illis negat.

Hinc merito videmus, decretoria hanc Raymundi Lulli rationem, atque Propositiones easdem longe multas sub Pontificatu Pauli V. a delegatis Censoribus fuisse damnatas, atque in illis binam istas: *Mysterium Trinitatis est demonstrabile per rationes naturales... Articuli Fidei possunt rationibus naturalibus demonstrari; alias Infideles possunt jure conqueri de Deo: ut refert Cardinalis Alibizius in Opera suo de inconstancia Fidei pag. 523.* Sed tempus est, ut ad Divinas Processiones accedamus, & varias Theologorum inter sese dissidentium Opiniones examinemus.

PRAELECTIO II.

De Divinis Processionibus. Veterum, Recentiorumque Theologorum Placita referuntur.

Du est, ex quo communi fertur Adagio, Christianae Religionis Mysteria a Fidelibus quidem credi, rationes vero Mysteriorum a Theologis assignari. Id in ea, quam modo tractaturi sumus, Controversia experimento maxime comprobamus. Cum enim primam Processionem (qua Verbum a Patre originem ducit) Generationem Fides agnoscat, Verbumque a Patre productum, Genitum, Primogenitum, Unigenitum profiteatur Ecclesia, quo sane titulo Spiritum S. nunquam exornat, Aliud maxime Theologi quaerunt, quae sit hujusce discriminationis ratio? Cur, inquam, prima Processio Generatio dicatur, non item altera? Cur prioris Processionis terminus dicatur Genitus, non item posterioris?

Mirum est, quantum in ea Controversia dirimenda ab Antiquis Theologis dissentiant Recentiores. Contendunt nonnulli, nempe Alexander Alenus, Richardus a S. Vidore, S. Bonaventura, primam Processionem Generationem dici, Verbumque ex ea procedens Genitum nuncupari, quia recipit Naturam uti secundam, & potentem aliam producere, quod altera Processio non facit.

Verum hanc Veterum Opinionem triplici ratione refellimus. Primo; quia Foecunditas in Filio nihil ad Filiationem facit. Secundo; quia ad filia-

filiationem requiritur similitudo in natura, ut natura est; at Natura est, tamen non sit fecunda. Tertio tandem; quia si ad similitudinem fecunditatis desideraretur in Persona producta, Spiritus S. nequidem materialiter, & identice esset similis Patri.

Contendunt alii Veteres, ut Petrus Aliacensis, primam Processionem esse Generationem, non item alteram, quia per primam Filius procedit ab uno; per aliam Spiritus S. procedit a duobus.

At tantum abest, ut Genito repugnet a duobus procedere, ut potius congruat. Tamen enim Pater Aeternus solus generet, duorum veluti vires gerit, proindeque a Patribus *Passimater* nuncupatur.

Fuere ex his etiam nonnulli, qui sustinebant, nullam assignari posse rationem, cur prima Processio Generatio dicatur, non item altera; inter quos Magister Sententiarum, *lib. 1. distinct. 13. nitturque loco*, illo Augustini *lib. 3. contra Maximianum cap. 14.* ubi ait: *distinguere autem inter illam Generationem, & hanc Processionem nescio, non valeo, non sufficio.*

Dico tamen bona venia tanti Viri, idcirco ita locutum fuisse Augustinum, quia nullam invenire potuit rationem, qua posset distinctionem hanc demonstrare, licet probabilis aliqua repeririatur.

His positis, in eam tandem Sententiam veniunt Recentiores Theologi (in quam & nos libenter inclinamur) ut dicant, idcirco primam Processionem Generationem vocari, quia per primam hanc Processionem qui procedit, recipit Naturam similem suo Principio ex vi Processionis suae, alteram Generationem dici non posse, quia licet qui per hanc procedit recipiat Naturam, non tamen recipit similem ex vi suae Processionis; quod totum defumitur a definitione Generationis. Generatio itaque definitur: *Origo viventis a vivente conjuncto in similitudinem naturalem ex vi processionis*. Quia ergo prima Processio est *origo viventis a vivente*; nempe a Patre, & a vivente conjuncto in similitudinem naturae, cum Naturam similem Patri habeat Filius ex vi Processionis, nempe ex vi modi, quo procedit a Patre; idcirco Generatio jure nuncupatur: cum contra Processio secunda, licet origo sit viventis a vivente, licet in similitudinem naturae; quia tamen eam Naturam non habet ex vi Processionis suae, cum a Voluntate procedat, quae non est assimilativa sui objecti; ideo Generatio non dicitur, licet Processio Filii vocetur. E. G. si quaeratur, cur Christus non dicatur Filius Spiritus S. Respondetur; quia non est ei similis secundum temporalem Generationem, licet Principium ille fuerit activum generationis ipsius. Pater hoc etiam Hebraeo Exemplo, quae licet originem traxerit ex Adamo; filia tamen Adami non dicitur, quia similitudinem in natura humana non habuit ex vi processionis, qua processit ex eo. Nunc quid nonnulli opponere soleant, videndum est.

Opponunt igitur loco primo: Spiritus S. non minus est Patri similis in Natura ex vi suae Processionis, quam Filius; Ergo vel non valet ratio Conclusionis allata, vel si valet, Spiritus S. aequo Genitus dici debet, ac secunda Trinitatis Persona. Hoc probant: Spiritus S. non habet eam similitudinem a se ipso, sed a Patre, & Filio, a quibus procedit; ergo habet illam ex vi suae Processionis.

At haec argutia in aequivo laborat, cum non satis distinguit, qui id reponit, recipere per Processionem, & recipere ex Processione. Damus, Spiritum S. recipere per Processionem; negamus tamen recipere ex vi Processionis. Tunc enim

recipitur aliquid ex vi Processionis, quando id, quod recipitur, est terminus formalis; si vero terminus sit materialis, per identitatem, & concomitantiam dicitur recipere. Id ut ostendam, Exemplum affero Sacramenti Eucharistiae: dum consecratur prima Species, ex vi verborum sub hac ponitur Corpus Christi; & licet ex vi verborum non ponatur Sanguis Christi, ponitur tamen per concomitantiam; quia Corpus Christi est terminus formalis expressus per ea verba: *Hoc est corpus meum*, non Sanguis; ita quia ea similitudo secunda Processionis non est terminus formalis, dicimus, Spiritum Sanctum eam recipere similitudinem per Processionem, non ex vi Processionis.

Urgent tamen; Spiritus S. ex vi Processionis procedit ut Deus. Unde hoc habent? Ex eo, quod Spiritus Ex vi Processionis procedit ut est; sed est Deus; ergo procedit ex vi Processionis ut Deus.

At haec mera aequivocatio est. Procedit quidem ut est; non tamen secundum omnem modum, quo est; procedit ut Amor, non ut Deus; quemadmodum Sanguis Christi est sub prima Specie non secundum omnem modum, quo est; sed per concomitantiam.

Urgent nihilominus: Spiritus S. ex vi Processionis recipit existentiam; at existentia in Divinis non distinguitur a Natura; adeoque Genitus vocari potest.

Haec pariter aequivocatio est. Spiritus S. recipit existentiam tanquam conditionem comitantem quemcumque terminum productionis; at vero existentia non recipitur in Processione Spiritus ut terminus formalis, sed tanquam conditio comitans terminum productionis.

His positis, Momentum aliud colligunt: Pater, & Filius spirando Spiritum S. intendunt producere sibi simile; ergo dum producitur, producit ut formaliter similis est. Hoc habent ex vulgari Prologo, quo *Agens agendo intendit producere sibi simile*. At axioma illud intelligendum est de Agente, quod agit per virtutem proximam ad id destinatum, ut possit facere sibi simile; fecus, si tali virtute non agat. Deus autem agit duplici Facultate, Intellectu scilicet, & Voluntate; & hoc tantum praestat Intellectus, minime vero Voluntas; quia Voluntas nec in Deo, nec in Creaturis est destinata ad assimilandum.

Nunc alia agitata Quaestio venit; cur in Divinis sit unicus terminus utriusque Processionis; V. G. quare Deus generet unicum Verbum; & Pater, & Filius unicum Spiritum? Respondio, facillima est. Idcirco Deus unicum producit Verbum, quia Terminus est simpliciter infinitus. Et si quis audeat reponere vellet: si Deus nequit producere, nisi unicum Verbum, finita igitur dicenda venit Divina Potentia: Respondio in promptu est. Esto enim Potentia Intellectiva, & Volitiva Dei sit infinita, non repugnat tamen ex unica Generatione Verbi, & Spiratione Spiritus Sancti genitus exhauriri. Quandoquidem Potentia tunc solum finita dicenda est, cum exhauritur ab aliquo Termina, qui (ut Scholae verbis utar) in terminandi ratione finitus sit; minime autem, si ab aliquo Infinito exhauriri contingat; ut manifestum sit in Omnipotentia, quae licet a Possibilitate omnium collectione exhauriri dicatur; non tamen propterea finita dicitur. Porro cum Verbum Divinum, & Spiritus Sanctus quid infinitum sint, quatenus Divinae Generationis, & Spirationis termini sunt; esto dicamus, per unicum Generationem, & Spirationem Potentiam Divinam ad intra omnino exhauriri; dicere tamen

men haud possumus, eandem idcirco finitam evadere.

Quoniam vero de Divini Verbi Generatione sermo incidit, non abs re erit inquirere, per quam cognitionem Verbum generetur: quod sequentis Praelectionis Argumentum erit.

PRÆLECTIO III.

Per quam cognitionem generetur Divinum Verbum explicatur.

DE Divinis Processionibus, & Relationibus generatis, & univervis in antehabitis differimus: de his modo Processionibus, ac Relationibus speciatim agendum venit. Ac primo de Processione Filii, quae Spiritus Sancti Processionem cognitione, & ordine antecedit. Quia itaque Pater Aeternus cognoscendo generat Filium, & multa ipse cognoscit; idcirco loco primo quaerendum a nobis est, ex quarum cognitione rerum genitum sit Verbum a Patre. Pater enim multa cognoscit ad intra, multaque ad extra. Ad intra cognoscit Essentiam suam, Attribute, & Personam: cognoscit subinde Personam Filii, & Personam etiam Spiritus Sancti. Ad extra vero cognoscit Creaturas five praesentes, five praeteritas, five futuras. Inquiritur ergo, num Verbum generet ex cognitione, quam habet Essentiae suae, & Attributorum, vel etiam de sua ipsius Persona; an cognitione, quam habet de Spiritu Sancto, vel Filio ipso?

Pater ut Theologi omnes, Patrem generare Verbum ex cognitione Essentiae suae, & Attributorum: negant aliqui, generare ex cognitione propria sui ipsius Personae; & hac Subtilium Theologorum sententia est. Ego tamen, prout vires suppetunt, demonstrabo, Patrem generare Verbum, non modo per cognitionem, quam habet de sua Essentia, & Attributis; verum etiam quam habet de ipsam suam ipsius Paternitate. Id palam decretoriis Argumentis ostendo. Verbum producitur per ejus cognitionem, quod Verbum intime representat; ejus scilicet, cujus est imago: hac enim Verbi Natura est; ut ea cognitione producat, quae de eo habetur, cujus imago est. Porro Filius representat intime Patrem, cum Imago sit ejus: Pater itaque generat Verbum non modo ea cognitione, quam habet de sua Essentia, & Attributis, sed ea etiam, quam tenet de sua ipsius Paternitate.

Quod vero Pater ratione Personae sit Species representativa a Filio, ex Scriptura patet evidentissime, Joan. cap. 14. ubi Christus inquit Philipppo: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*. Item ad Hebraeos cap. 1. legitur de Filio: *qui cum sit splendor gloriae ejus, & figura substantiae ejus*; hoc est, Personae, secundum Graecum Textum.

Pater hoc etiam ex aliis Capitibus. Consentiant omnes formae Patres, Verbum esse Imaginem Dei; porro non intelligitur sumpto Deo communiter; sic enim Verbum sui ipsius esset Imago: dum porro hoc affirmant Patres, asseriturque Scriptura, supponunt pro Persona.

Accedit & alia ratio, quae magis decretoria videtur. Verbum producit a Patre ea Cognitione quae est quidditativa, intuitiva, comprehensiva; quia cognoscitur Cognitione perfectissima: At Cognitione, quae habetur de Essentia, & Attributis, non est quidditativa, intuitiva, comprehensiva, nisi cum Essentia, & Attributis cognoscatur simul Persona; quia Cognitione comprehensiva cognosci debet totum id, quod complexum est in eo, quod cognoscitur; Persona autem complexa

est in eo, quod cognoscitur: itaque una simul cum Essentia, & Attributis cognoscitur etiam Persona.

At scio, quid reponant Adversarii. Dicunt scilicet: Cognitione non pendet ab Objecto secundario, sed ab Objecto primario; Objectum autem primarium Divinae Cognitionis est essentia Divina: Persona vero est Objectum solummodo secundarium; igitur ea Cognitione, qua Divina Essentia cognoscitur, non cognoscitur Persona.

At si haec Argutia aliquid valeret, colligere ex hac possemus Momentum contra ipsos: nam ita liceret argumentari: Cognitione pendet ab Objecto primario; ergo nec per Cognitionem, quam habet de sua ipsius Essentia, & Attributis, Deus potest generare Verbum suum; quod tamen consequitur ex ipsorum Responsione.

Quare repono ego: cognitio non pendet ab Objecto secundario, quando primarium comprehendere potest, non cognitio Objecto secundario, verum est; sed quando nequit comprehendere, nisi & secundarium cognoscatur; pendet quoque cognitio a secundario: Porro Cognitione, quam habet Deus Essentiae suae, nequit haberi, nisi habeatur & Paternitatis: aliter Cognitione comprehensiva non esset.

Subtilius jactitant alii: Verbum procedit ex cognitione illius, cujus est Imago, sed Verbum non est Imago Patris ratione Paternitatis, sed ratione Essentiae; ergo non procedit a Patre ex cognitione, quam habet Paternitatis, sed ex cognitione dumtaxat suae Essentiae.

Ut haec dissipetur Argutia, observandum nobis est, ad rationem Imaginis faris non esse similitudinem, sed ultra requiri, ut unum procedat ab alio; V. G. nihil est Ovo similis, quam alterum Ovum; unum tamen non dicitur imago alterius; quia licet simile unum alterius sit; unum tamen non trahit originem ex alio; unde ad rationem imaginis non tantum requiritur similitudo, quam quod unum procedat ab alio. Filius autem procedit a Patre, non ut Deus est reduplicative, sed ut Patre est; alias & Filius ipse, & Spiritus Sanctus generarent, cum Uterque non minus, ac Pater, Deus sit.

Urgent tamen: absurdum est dicere, unum esse representativum alterius ratione illius, per quod opponitur: porro per Paternitatem Pater opponitur Filio: Paternitas itaque nequit esse representativa Filii.

At ludicrum, ac futile argumentum hoc est: nequit certe quis esse similis alteri per id, quod Contradictorie alteri opponitur; Bene vero per id, quod Relativam dumtaxat dicit Oppositionem; cum Relativa non modo sint simul natura, sed etiam cognitione.

His positis, ad alteram Quaestionis Difficultatem accedamus; num scilicet Pater Verbum generet per Cognitionem, quam habet de ipsomet Verbo, & Spiritu Sancto? Cum enim Deus in se multa cognoscat, Essentiam nempe, Attribute, Personam suam, Verbum, & Spiritum Sanctum, ut superius asseruimus, & cum probaverimus, ea Cognitione generare, quam habet, nedum de sua Essentia, & Attributis (quod omnes fateantur) sed etiam de sua Persona, seu Paternitate; videndum modo, num idipsum praestet etiam per Cognitionem, quam habet de Filio, & Spiritu Sancto?

Mirum est quanta in hac Controversia dissensio sit inter Theologos. Res tamen utcumque sit, pronunciamus, Verbum produci ea Cognitione, quam Pater habet de ipsomet Verbo; idque statuemus Probatione in antecessum a nobis habita. Ostendimus enim, Verbum produci Cognitione, quam

adoratur; nam Ecclesia non solum colit, & adoratur Naturam Divinam, sed etiam Relationes; quinimo Apostolus ad Ephe. 3. hæc habet: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi; ex quo omnis Paternitas in Cælis, & in Terra nominatur*: Fatendum igitur, Relationis Divinæ secundum proprium conceptum dicere perfectionem.

Unde autem ortum Systema illud sit, quod in Scholis Theologi non pauci, & quidem haud infimæ notæ intulerunt; Divinas videlicet Relationes secundum proprium conceptum perfectionem minime importare, declarabo. Noverunt Theologi illi, quod Fides docet in Trinitatis Mytherio; nimirum summam esse Personarum Æqualitatem; quapropter dixerunt: si Relationes Divinæ secundum proprium conceptum perfectionem induerent, profecto Divinæ Personæ æquales in Perfectione non essent, quia Pater Paternitatem habet, quam Filius non habet; Filius habet Filiationem, qua Pater caret; Spiritus Sanctus Spiritationem Activam nullam habet, qua tamen præditi sunt Pater, & Filius. En qua Argumenti specie delusi fuere Theologi illi.

Mera tamen hæc est Argutia nullo rationis pondere nixa. Est enim Pater ea Paternitate potitur, quam Filius non habet; Filius ex adverso Filiatione donatus sit, qua caret Pater, sunt nihilominus æqualis inter sese Perfectionis, eo quod Filius aliquid possidet, quod tantæ Perfectionis est, quantum habet in Patre Paternitas; & Pater vicissim continet in se aliquid, quod

tantum complectitur perfectionem, quantum Filius tribuit Filiationi. Quid istud est? Paternitas ipsa in Patre; Filiationis in Filio. Sed quid de Spiritu Sancto dicendum erit? Idem omnino; nempe, passiva Spiratio illiusmet Spiritus æqualem in sese perfectionem continet, ac habeat in Patre Paternitas, vel Filiationis in Filio, vel etiam Utriusque Activæ Spiratio, qua ipsum spirant Spiritum Sanctum. Deinde dico, verum absolute non esse, Patrem non habere Filiationem, Filium non habere Paternitatem. Pater enim secundum conceptum explicitum non habet Filiationem; bene est: habet tamen illam Pater, ut Deus est: & ita de Filio, & Spiritu Sancto, servata utriusque Relationis ratione, dicendum venit, Quamobrem nihil ex eo Argumento extunderè possunt Theologi illi ad sui Systematis positionem firmandam. Atque hæc de Divinis Relationibus dicta sufficiant; quibus integram de Sacrosancto, atque imperscrutabili Trinitatis Mytherio Tractationem, anno scholastico desinente, absolvimus, & Scholæ nostræ januam obferamus. Novo ineunte anno Scholæ iterum ingressuri, si nos incolentes Trinitas ipsa servaverit, Audientiam nostram in amœniora præta deducemus; ut quantum sacri cujusdam horrois pertractati Mytherii alta profunditas vestris mentibus hucusque ingessit, tantum oblectationis, atque jucunditatis afferant festiviora, qua tractatur tunc erimus, humanoque captui longe accommodatiora Contraversiarum Argumenta.



TRACTATUS SECUNDUS DE MUNDI OPIFICIO, PROTOPARENTIBUS, ET PARADISO TERRESTRI. DISPUTATIO UNICA.

PRÆLECTIO I. PRÆLUDIALIS.

In Divinorum Naturæ Operum indagazione tria Viri Theologo Principii loca ponenda insinuantur: primo; eorum Notitiam ex Sacris Litteris non esse curiosius petendam; sed ea potius naturali ratione investiganda: Secundo; que naturali ratione probantur, si quo forte modo Sacris Litteris repugnare videntur, cum Divina Revelatione esse concilianda: Tertio; si nullo modo conciliatio fieri possit, naturalem rationem, que Sacris Litteris adversatur, tanquam fallacem abjiciendam, & Divinæ Revelationi penitus inherendam.



Habita de Sacratissimo Trinitatis Mytherio Theologica Tractatione, postulat Officii ratio, & a Magistro Sententiarum servata docendi methodus, ut de Creatione Mundi, seu (ut Theologi de Schola loquuntur) de Opere sex dierum Disputationem aggrediamur. Ita scilicet, considerato primum Summo illo, quo solo fruimur, Bono, Creaturas nunc, quibus utendum dumtaxat nobis est, attentis animis speculabimur: In qua quidem obvoluta provincia, non levi sub ipsum statim initium difficultate detineor; quam tamen si modo feliciter expedierim, certa mihi deinceps docendi patebit via. Istud enim Argumenti genus dum tractant Theologi ferme omnes, in illum impingunt scopulum, quod eas in prescurandis Divinis Naturæ Operibus tenendas Leges existiment, quas in cæteris Theologie partibus, ubi Opera Gratiæ, Mytheria Fidei, Disciplinæ, Morumque Regulas tractant, servare, atque tenere consueverunt. Nempe cum in iis pertractandis ad Sacrarum Scripturarum Auctoritatem, tanquam ad certum Religionis, & Fidei Canonem, confugere soliti sint (alegatis, si forte repugnet, sensuum experimentis, ac naturali etiam Ratione filere iusta) idem sibi in relegendis Naturæ arcanis, scrutandisque Dei Conditoris Operibus faciendum arbitrantur. Quodque in eorum quibusdam dolendum magis, si quem forte Philosophum viderint de iisdem paulo aliter sentientem, quam ipsa prima Sacrarum Scripturarum facies præferre videatur, Hæreticum statim inelamant; ac pro ea, quam in re litteraria sibi arrogat, auctoritate atrocissimis Censuris inurunt. Quis hæc, rogo vos, æquo animo ferat? Unde non modo Philosophis omnis in investiganda Natura libertas tollitur, sed & Theologis ipsis in explicando, quod modo suscipimus, Mundi hujus Opificio ju-

gum imponitur nulla prorsus ratione ferendum. Si enim, ut in Fidei, Morumque Quæstionibus sit, ita in Creationis Operibus explicandis Sacrarum Scripturarum narrationes juxta proprium, ac nativum verborum sensum semper accipiamus; nihilque Rationi, nihil sensuum experimento trihuamus; qui quæso explicare aggrediamur, quæ miro quodam, mysticoque verborum involuero obvolvitur Moyses potius, quam narravit sub ipsum statim Genesios initium? Productam E. G. omnium primo Lucem quamdam erraticam, nulli interim subiecto hærentem: Dies ex vespere, & mane coalescentes ante Solis, & Luna productionem a Deo conditos: Aquas, nescio quas, super Firmamentum positas: Lunam ex magnis Luminaribus alteram a Moysse dictam: Stellas omnes Cælo infixas, & inhaerentes: Cardines a Deo positos, quibus Univerfus volvitur Orbis: atque id genus longe multa, quæ Sacrarum Scripturarum Interpretes non exercent modo, verum etiam gravissime torquent.

Hos igitur Scopulos ut vitemus, certamque sternamus viam, quam in suscepta de Divino Mundi hujus Opificio Tractatione tenemus, tria hæc Principii loca ponenda existimamus: primum; non eas esse Theologi partes ut Divinorum Naturæ Operum notitiam ex Sacris Litteris curiosius petat; sed, ea potius naturali Rationi investiganda relinquat: alterum; sit bene officio suo functum iri Theologum, si quod de Naturæ Operibus naturali ratione probatum viderit, hoc ipsum cum Sacris Litteris, Divinaque Revelatione concillet, si quo forte modo repugnare videtur; non intemperanti, ut plerumque ab impericioribus sit, Censura configat, ac dampnet: postremum; si omni adhibito studio conciliatio fieri omnino non potest, rationis videlicet naturalis, Divinaque Revelationis Sacris in Litteris factæ, jus demum Theologo erit, fallacem, errantemque Rationem pronunciare, que contra quod Fides habet, contra quod Prima Veritas Divinis in Litteris revelavit, præsumit aliquid demonstrare. Quæ tria Principii loca dum pono, non modo quam in suscepta Tractatione viam ingrediar, desinio, statuoque; verum etiam certos & Theologis, & Philosophis fines constituo, quibus sua Utrique jura in judicandis Naturæ Operibus circumscribant: ne vel Theologi Philosophos rerum naturalium investigatores immetitis Censuris imprudenter inurant, vel Philosophi Theologos Divini Verbi interpretes, ubi recta de rebus etiam naturalibus judicicia ferunt, despiciant pro more suo, atque contemnant. Ad rem itaque veniamus.

Ac illud primum, quod ajo, Divinorum Naturæ Operum notitiam in Sacrarum Scripturarum